




1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.

1697.

- 1.^o Albinus, Bernhardus: De abortu.
2. Albinus, Bernhardus: De partu naturali.
3. Coccejus, Henricus: De jure belli in amicos.
4. ^{*}Vanckelmann, Philippus Sylvester: Philippo Sylvestri et Wilhelmus Henrico fratribus Vanckelmannis, illis de bello in amicos, hunc de Imperio in pares disputanti, indeque Francofurti simul discendentibus gratulatus academia Viadrina.
- 5.^o Coccejus, Henricus: De imperio in pares.
2 Saempt. 1697 i. 1715.
- 6.^o Coccejus, Henricus: De proportione furti ac insipientii, rupto laqueo. 2 Saempt 1697 i. 1715.
- 7.^o Coccejus, Henricus: De remedio, 13 P. Comm. ntr. jnd.
2 Saempt

8. Ring, Thom. Sigfr.: De poena sine culpa.
- 9²² Schultz, Petrus: De eo, quod iustum est circa paro-
chianos
10. Thiele, Joh. Petrus: De citatione iudicis incompetens
11. Willenberg, Samuel Fredericus: De passionibus animi in
iudicio
12. Willenberg, Samuel Fredericus: De scientia delicti puniendi
13. Willenberg, Samuel Fredericus: De concursu aduentis et
cessionariis.



Handwritten text on the left margin, including the characters 'ka' and 'la'.



D. O. M. A. 1697, 1a
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
DE

ABORTU,

Quam
*Gratiosissimæ Facult. Medic. Indultu
in Illustri Viadrina,*

PRÆSIDE

DN. BERNHARDO ALBINO,

PHILOS. & MED. D. SERENISSIMI ac POTENTISSI-

MI ELECTORIS BRANDENBURGICI CONSI-

LIARIO & ARCHIATRO, MEDICINÆ PROFESS.

PUBL. ORDINARIO, & h. t. DECANO,

PATRONO, PRÆCEPTORE & PROMOTORE STUDIORUM

SVORUM ETATEM COLENDO,

PRO LICENTIA

Summos in Arte Medica Honores & Privilegia Docto-
ralia obtinendi,

Ad Diem XXIX. Julii An. MDC XCVII.

Publico Eruditorum examini submittet

Horis ante & pomeridianis

JOHANN GEORGE à BERGEN,

Phys. Peitz.

FRANCOFURTI ad VIADRUM,

Literis CHRISTOPHORI ZEITLERI.

DISSERTATIO MATHEMATICA MEDICA

D E

ABROTU

Georgii Augusti

in

Dr. BERNARDI

PHILOSOPHIAE

PHILOSOPHIAE

PHILOSOPHIAE

PHILOSOPHIAE

PHILOSOPHIAE

PHILOSOPHIAE

PHILOSOPHIAE

PHILOSOPHIAE

PHILOSOPHIAE

PHILOSOPHIAE





Q. D. B. V.

TH. I.

DE abortu scripturus in etymologi-
am prolixè non inquiram, epitomes e-
nim cancellis, quicquid dicturus sum,
includam & lexicographis, ad quos hæc
& similia pertinent, hoc relinqvam. Nec
meam faciam litem quidnam discriminis Aborsum
& Abortum intercedat, an nempe unum & idem sint,
an ille foetus priorum mensium corruptelam, hic au-
tem ejusdem ad legitimi partus terminum propius
accedentis exclusionem denotent? Num hic vel ille
dicatur ἐκτρέωσις, vel num hoc proprie ipsam abor-
tandi actionem significet? Quæ, & num, inter ἐκτρέω-
σεις & ἐκκρύσεις sit differentia? ἐκπολή ne sit rejectio
foetus sub formâ ovi, ἐκτρέωμα verò foetus jam forma-
ti? Quibus nominibus Hippocrati veniat? Pro quo-
rum accuratiori notitia si quis pugnare velit, illi non
repugnabo, sed è suo fonte eadem hauriat; vel si
pertinacius institerit ad forum pertinere medicum
nosse quo sensu à Medicis hæc accepta olim sint, &
hodiernum sumantur, illos adeat qui prolixius in ar-
tem medicam commentati sunt, cum angustis enim
epitomes cancellis hic loci subsistere nequeunt, utque
hoc labore supersedere possim quid per Abortum in-
telligam paucis dabo.

B

II. Sub

Sub titulo Abortus complector omnem illum partum humanum, qui sive vivus, sive mortuus ante constitutum gestandi & pariendi tempus ejicitur. Novi quidem plurimis religioni esse foetum abortivum nominare nisi postquam moveri coeperit, aut à tertio usque ad septimum mensem. Verùm cum juxta Hippocratem septimo die foetus omnium partium rudimenta habeat, à Swammerdamio trium dierum, ceu id in suo naturæ miraculo contra Graafium testatur, visus sit, & Th. Kerckringius embryonem quatuordecim dierum, in quo facies jam distinctior & cætera membra aliqua conformatione distincta apparuerunt, Sceletum item cartilagineum trium septimanarum, foetus unius mensis & sex septimanarum oculis spectanda subjiciat: Hippocrates etiam bimensis & trimestris abortus *Aphor. sect. 5. aph. 45.* meminerit, nec Galenus in notis ad hunc locum dubium moverit; non sollicitè distingvendum esse putem inter effluxum, falsum germen & abortum, cum saltem tempore, aut ut majus & minus differant. Nec immorabor disquisitioni quousque abortus tempus extendi, & num ultra septimum mensem abortus dici debeat? Licet enim octavo mense jam partus fiat naturalis, si tamen ille, qui decimestris esse debebat, octimestris fiat, immaturus est, nec legitimum terminum pariendi attigit, adeoque imperfectus dicendus & inter abortus omninò referendus est. Subtilior illa videtur esse distinctio, quam inter foetus mortui partum & abortum facit Sennertus; verùm, ut ut sit mortuus, est tamen ante debitum terminum exclusus, adeoque cum L. Riverio foetum, sive

vivus

vivus, sive mortuus excludatur, qui nondum maturus est, neque debitum accretionis, quam in utero accipere debet, terminum attigit, abortum dico, & cum Primerosio abortus nomine generaliter utor, quando nempe foetus ante congruum & consuetum tempus, quodcumque tandem illud fit, dejicitur.

III.

Quæ circa abortus contingunt dum confidero, adverto sæpius absque gravi humorum sanguinisque vitio rejici foetus, illumque morbis subinde annumerandum esse, quorum causæ non tam subsistunt in sanguine quam in partibus solidis: dico subinde, nam sanguinis, humorum atque spirituum vitio non minus frequens est qui contingit, sæpè etiam sæpius à neutro horum evenit, sed unice in foetus redundat. Ut de partibus solidis primo loco agam, animadvertimus partus conatus analogos esse convulsionibus, quibus ventriculus, intestina, vesica urinaria omnisque generis viscera concava inaniuntur, suntque uteri spasmi vel convulsiones, quæ à variis causis excitatæ præcocem causantur enixum, qui alioqui non nisi circa tempus, tum matris, tum foetus naturæ, congruum incideret: Puerperarum etiam, postquam Lucina facit, conatus expulsi, seu uteri convulsivæ everfiones valde dolorificæ, analogi sunt ventriculi coarctationibus convulsivis, nausæ, singultui, vel vomitibus succedere solitis, ut ut plus doloris ejusmodi motus violenti uteri secum habere soleant, cum hic sub placentæ uterinæ separatione, teste nimio subinde lochiorum fluxu, notabiliter quandoque lædatur. Non video cur idem utero evenire nequeat, ut vel à nimia distensione, salium acrium mole-

4
DISSERTATIO INAUGURALIS
stâ vellicatione, vel quâvis aliâ externâ causa, perinde atque ventriculus nimia potus ingluvie distentus, vel ab acredine vellicatus, convellatur. In statu enim quantumvis sano nulla non corporis pars ita disposita est quin ab offendentibus salium spiculis aliisve interdum convelli queat; Uterus etiam est substantiæ fere nerveæ & membranosæ carneum aliquid præ se ferentis, præsertim in fundo ejusq; parte externâ teste *Graaf. de organis utriusq; sexus generationi inservientibus cap. 8.* & hoc saltem præ ventriculo singulare habet, quod contractus omne illud versus pudoris sinum propellat, quod ventriculus partim per œsophagum, partim per pylorum evomit.

IV.

Ad convulsivos spasmodicosque uteri motus explanandos cum Excellentissimo Bohnio *in circul. anat. Progymnasmate 29. de motu animalium*, musculos in formatos & non formatos distinguo, hisque ultimis uterum annumero; habet ille præter nervos, quos referente *Graaff. de org. gener. mul* à propaginibus rami sextæ conjugationis interni, tum & ab osse sacro accipit, fibras carneas ejus naturæ, ut cû embryonis incremento dilatari & fœtu excluso se denuo contrahere valeant, ceu de his *Malpighius dissert. de utero* ita perhibet: *exterius fibræ carneæ in fasciculos coagmentatæ & reticulariter implicatæ uteri structuram componunt, ita ut ipsius interior moles sit lacertorum congeries & complexus*, Ipseque *Harderus in Schol. ad obs. 93. Apiarii sui*, se ad stuporem usque rimatum esse, ecqui tam pusilla, tam angusta pars factu conceptu in tantam molem extendi & dilatari possit, seque hanc difficultatem commodum non expedire potuisse scribat,

bat, ni fibrosa ejus compages, plicæ in virginibus, aliisque nondum gravidis, in quas etiam post partum redeat, succurrisset: cum ejusmodi structuræ partes extendi queant usq; fibrarumq; motriciū ope expandentis excretionem promoveant, ut sensim ad pristinam cū aliis eamq; arctiorem unionem redeant ac primam figuram recipiant. Habet ille copiosissimas arterias per totam uteri compagem frequentissimis ramificationibus dissemintas, quæ non parum ad motus, tum naturales, tum præternaturales, conferunt. Licet enim ad motum quarumcunq; partium influxus spirituum animalium in fibras musculorum motrices omnino requiratur, ille tamen solus non sufficit nisi in partium latifundia ex arteriarum poris humores deponantur, horum quippe secretionem tantillum interrupta, perennante licet spirituum animalium influxu, cessat motus; hætenus enim animadversum est ab arteriis ligatis motum immò sensum æquè perire atq; à nervis obstructis, vel planè rescisis, notatq; N. Steno strictius vel laxius ligatâ arteriâ motum modo cessare, modo redire, ipseque auctores idem apud Dominum Præsidentem in trunco aortæ descendente, itemq; arteria crurali, me vidisse testor. Nisi enim humoribus partium tubuli turgiduli essent, soli animales spiritus implendis musculis impares forent, qui per inane vagarentur sine omni effectu; iis verò plenis minimi superpondii accessu perquam facile eorum æquilibrum tollunt, & motuum autores existunt. Nec tamen crediderim tunc demum influere spiritus cum membra moventur, quin potius quovis momento in partium latifundia à cerebro propelluntur, sed

B3

pres-

pressione uniformi & æquali ut ab eo muscoli omnes æqualiter premantur, nec alter alteri præpolleat, donec à causâ quâdam tertiâ nova determinatio accesserit: quadrant huc quæ ingeniose differit Cockburn in Oeconomia animali, quando scribit: *Vim præcipuam quâ liquidum nervorum à cerebri glandulis exprimitur & per ipsos in fluxum agit, esse pressionem provenientem à dilatatione arteriarum piam matrem intertextentium & cerebrum intimè intercurrentium rythmum, eundem cum pulsante corde servantem, indeq; dum sanguis in arteriis distinctis ictibus pellitur, subalterne etiam in partes moveri & excidere spiritus, in quas nervorum emissaria hiant, immò ab his, licet tempora influxus inæqualia sint, majora, minora ac tam frequentia ut effluxus continui videantur ac effectus reipsa continui sint, partes omnes æqualiter, ad quas perveniunt, inflari.*

V.

Dictum thesi priori est omnia in æquilibrio mansura nisi à causa aliqua tertia æquilibris influxus tollatur: tollitur ille ex imperio mentis, quoties corpus ex voluntate movetur dum spiritus pro rei exigentia successive in alios atque alios determinantur musculos: tollitur ille etiam ex solo corporis mechanismo, ut mente etiam invita non impediri, licet ad aliquot momenta procrastinari possit, quod partim nictitantes testantur palpebræ, & in respiratione manifestum est, quæ in dormientibus non modo sed alto veterno vinoque sepultis, apoplecticis, in quibus cæteroquin omnes functiones animales cessant; epilepticis, non obstantibus omnium partium convulsivis motibus, sine intermissione peragitur, & quamvis vel voluntate vel vi morbi retardari non
nihil

nihil queat, redit tamen nec nisi cum ultimo vitæ momento exspirat: Tollitur denique tertio à variis causis, cum nempe in humoribus, & spiritibus magnus excitatur impetus, vi cuius inæqualiter irruunt in partes, omnesq; mentis habenas excutiunt, quod in ebriis, phreneticis, &c. contingit; Vel in partibus solidis vellicantur fibræ aliique in cerebro aperiantur pori, ut per hos quâ datâ portâ ad partem istam confluant eamque moveant, quemadmodum in dysenteriis, spasmis aliisque finenúmero videre est. Notandum verò his in casibus licet perceptio mentis interveniat, hanc tamen velit nolitve spirituum influxum intervertere non posse, quin motus alterum quandoque motum ex solo corporis mechanismo producat, ita à ptarmicis sternutibus, purgantibus evacuaberis, emeticis vomes, &c. Fiat quid simile in utero quod spirituum influxum alliciat, sive distendendo, sive vellicando, sive alio quocunque læsionis genere, spiritus animales in fibras ejus motrices oppidò influunt, illas spasmodice contrahunt, cavum angustabunt & contenta vel excutient, vel expellere tentabunt cum præsentaneo abortus periculo.

VI.

Hippocrates libro de superfætatione mulierum inter abortus causas uteri angustiam refert, cum inquit: *Si qua concipiat quidem & frequenter, sed fœtus bimestres, trimestres, aut quadrimestres, aut vetustiores stato tempore & certo excutit, illud est referendum ad uteri angustiam, quæ augescentem fœtum amplius continere non potest.* Non negavero quin hoc ita fieri possit, omnia namque corpora extensibilia extensionis suæ

suæ cum attingunt terminum periculum ruptionis incurrunt, dolorem causantur, spirituum influxum laceffunt, & si per mechanicam liceat, spasmos vel convulsiones excitant, quæ omnia uterus pati nequit, quin excutiat uteri placentam foetumque evomat. Nec negari potest, nonnullas foeminas delicatioris esse texturæ quarum uterus tantam non ferat extensionem atque aliarum, & hinc contingere posse, ut fibræ nunquam sufficienter deduci, nec mulier unquam foetum tot mensibus, quot requiruntur, ferre, sed semper abortire debeat. An verò statò & certo semper tempore evenientis abortus, quod Hippocrates vult, angustia uteri legitima sit causa, de eo valde dubitaverim, una enim eademque foemina, foetus non semper habet æquo torosos, nec eandem semper habet aquarum colluviem, si proinde uteri angustia in culpa foret, in eadem foemina, cujus sanitas per præcedentes nonnullos abortus jam debilitata, & foetus æquè succi pleni & eadem esset aquarum moles, cum tamen constet cum constitutionibus matrum foetuum vigorem variare in iis etiam quæ cæteroquin sanæ sunt. Difficillimum nisi impossibile, conceptu est, in foemina distinctis imprægnationis temporibus foetus ad mensuram & pondus ita augeri ut non modo mensis mensi, sed septimana septimanæ congruat. Notat enim Clauderus Matronam complexionis laudabilis, bono corporis habitu præditam, intra spatium sex annorum abortum circa finem tertii mensis & statò tempore, imò septimana, octies passam esse *Eph. Nat. Curios. dec. 2. an. 7. obs. 184.* & passim de similibus plena sunt medicorum scripta.

VII. Idem

VII.

Idem Hippocrates *aphorismorum lib. 5. aph. 45.* aliam abortus assignat causam quando scribit: *Quæ mediocriter corpulenta abortum faciunt, secundo mense aut tertio sine occasione manifesta, iis cotyledones lentoris sunt plena, nec preponderare continere foetum possunt, sed abruptis decidit:* Cum à mucoso succo uteri intercipiuntur pori illeque lubricatur, naribus, cum coryza laboramus, quid patitur analogum, tumet & lubricus est, uterique placenta, cujus fibrillæ uterinis poris hinc inde interceptæ sunt, facile exiis exolvitur, non solum, sed etiam quicquid foetui in alimentum cedere debet, vel non separatur, vel ab eo mucore illi quid peregrinum admiscetur, quibus factis uterus convellitur, foetus se inordinatè jactat, & fit abortus. Huic verò incommodo non secundus saltè & tertius menses obnoxii sunt, sed quocunqve tempore hoc fiat abortit mulier, hinc etiam ipse Hippocrates in lib. de Morbis mulierum sine mensium designatione simpliciter abortire dicit. Nec corpulentæ in hoc casu solæ abortiunt, sed cujus cujus fuerint constitutionis, si uteros habuerint lubricos, abortient. Requiritur sanè ne quid præternaturale patiat uterum quod illum insigniter lædat ut commode commorationis suæ tempus in eo foetus transigat, quæ enim uterum notabiliter afficiunt eum irritant & abortiendi ansam dant. Inflammatio, scirrhus, abscessus, vulnera, hydrops, mola & quæ hujus generis sunt alia ad horum classem revocantur.

VIII.

Hæc uteri sunt vitia quæ abortum faciunt, ad quem quid mater contribuat visurus sum: Omnes primo, morbi, qui matrem graviter affligunt, afficiunt

C

unt

unt etiam foetum, quorum cum alii sint subitanei, alii chronici, pro indole sua & hunc & illam laedunt. Chronici cum fuerint, labe sua pededentim cum alimento inficient foetum, vires ejus, per se imbecilles, prosterment, tenellam corporis machinam laedent, aliorum morborum semina, tandem mortis & abortus autores erunt. Experimur hoc in phthificis, scorbuticis, lue venerea laborantibus & aliis. Externatur ab his mater, dissipantur spiritus, corrumpuntur cum sanguine humores ut nutritioni sufficere nequeat, *qua enim praeter naturam tenues uterum gerunt abortiunt, donec habitiores evaserint Hippocr. aphor. lib. 1. §. 44.* Quae in his morbis lentè fiunt, illa in acutis, peste, febribus ardentibus, praecipitanter ruunt. Magnae evacuationes, quales sunt haemorrhagiae copiosae, dysenteriae, cholerae &c. hysterica passio, dolor colicus, calculus, tussis molesta, vomitus, syncope gravis, epilepsia, tenesmus, abortum facere consueverunt, partim quod utriusque vires prosterment, foetuique alimentum subducant, partim quod uterum convellant & ad egerendum continuo sollicitent. Non tamen haec ita intelligi velim quasi haec abortu semper consequi debeat, per experientiam enim constat phthificas, scorbuticas, lue venerea infectas &c. subinde feliciter parere. Quartanam febrem cum tussi ferina à medio gestationis tempore ad partum usque, Dysenteriam gravem, luem denique veneream ipsamque salivationem, salvis & illaesis foetibus mulieres sustinuisse per experientiam Domini Praesidis mihi constat. Naturale nempe robur subinde majus est, quam ut morbis, vel aliis etiam violentioribus sollicitationibus succumbat: omnium lo-

co fit Zacuti Lusitani exemplum *lib. 2. prax. med. admir. obs. 144.* Quo loci mulieris meminit, quæ ut abortum procuraret, valida assumpsit purgantia, utero applicuit fortissima unguenta, apposuit pessaria violenta, aliaque foetum enecantia medicamenta per os devoravit. Cum his nihil proficeret, exactissima inedia corpus enervat, tandemque viribus licet dejectis ad saphenæ phlebotomiam decies & ter celebratam & hirudines ano ter applicatas se convertit; sed his non obstantibus nono mense obesos gemellos in lucem edidit. Et quid quæso meretrices intentatum relinquunt, quæ fortioribus purgationibus, Venæsectionibus, emmenagogis perditæ virginitati velum obducere fatagunt? Malunt enim stolatam quam nullam virginitatem. Sed desperata hujus farinae foeminarum temeritas audaciæ nonnullorum calcar addere non debet, certo enim certius est, salia, vel alia acria quamdiu alicubi propter meatuum flexuram & angustiam irretita jacent, non posse non diversas motuum modificationes nervis imprimere, iisque notabiliter succussis alios in cerebro nervorum tubulos aperire quos spiritus animales momentaneo subeunt, & hoc pacto mutatâ illorum indifferentia, partem, ad quam excurrunt, convellunt. Atque hæc causa tam notabiles sæpe numero post se trahit effectus, ut uteri non tantum convulsiones generet, sed illum cum iis aliarum partium mirè complicitet & abortum faciat. Hoc modo abortum à singultu descripsit Tiling. *Eph. Nat. Curios. Dec. 1. ad 2. observ. 62.* à Tenesmo Lanzonus *Eph. Nat. Curios. Dec. 2. ann. 10. obs. 143.* à Dysenteria J. Mullerus *Eph. Nat. Curios. Dec. 2. ann. 2. obs. 62.* Ut taceam pessos, clysmata aliaque vellicantia.

Insolitæ & vehementiores animi passiones, ira, tristitia, terror, &c. nimius motus, saltus, ponderis, gravioris sublatio, brachiorum nimia extensio, ebrietas ad vomitum matricem concitant. His enim sanguis vel nimium commovetur, vel ultra solitum motus retardatur, vel violenter ovum ab utero cum ultima foetus pernicie avellitur: prolixus in his recensendis Hippocrates est *lib. 1. de morbis mulierum*. Si quæ utero gerit ægrotavit, invalida fit, & onus visustulerit, aut plagam acceperit, aut saltarit, aut inedia laborarit, aut animo defecerit, si copiosius, aut parcius alimentum sumpserit, aut metu correpta, aut consternata animo fuerit, aut vociferetur, aut intemperanter vivat. Sunt quæ si acre quoddam, aut amarum præter consuetudinem ederint, aut biberint, foetus perdunt, cum adhuc tenellus pullus intus existat. Vide etiam C. Galenum *in lib. 3 Hippocr. de morb. vulg. comm. 3. agr. 11.* X.

A dictis causis quæquam abortus fiat ab iis tamen statorem temporum abortus non provenire possunt, sunt enim merè fortuitæ. Sunt tamen nonnullæ quæ Hippocratis testimonio concipiunt & frequenter, sed foetus bimestres, trimestres, aut quadrimestres & vetustiores stato tempore, semper & certo excutiunt, & in nonnullis abortus adeò accuratè coincidunt, ut ne diem vel anticipent, vel postponant. Cujus rei alia non occurrit ratio, quam quod istarum foeminarum sanguis, qui hætenus à spiritu seminis virilis immutatus lunæ non obediverat, jam denuo, sed justo citius ab ea commoveatur, vel quod spiritus seminis virilis non satis sit efficax, vel quod sanguis muliebris ob texturam

turam minus constantem in horas ferè mutabilis sit. Solet nempe feminis virilis spiritus effectus ad nonum extendi mensem priusquam à Luna vincatur ut partus fiat naturalis, qui si citius subigatur foetus etiam ejectione anticipatur. Cum enim sanguis incipit turgere à luna commotus menstrua erumpunt & una foetum ejiciunt. Toto die cum Sylvio observatur, foeminas nona decimavè post cessantem menstruorum eruptionem hebdomade fluxum pati satis magnum, & una cum ipso excernere aliquid coagulati, carneive, quæ, educto circa hebdomadem post cessantia menstrua octavam exbrachio sanguine, nil simile in se animadvertunt, verum gravidæ manent atque circa nonum mensem vivum & vitalem pariunt foetum. *Prax. med. lib. 3. cap. 6. § 56.* Juste suspicatur & solide concludit, has prioribus quoque temporibus fuisse gravidas, quando neglecta venæsectione sanguinisque redundantis diminutione passæ sunt abortum. Cum Sylvio notandum hoc imprimis foeminis copiosum menstruorum fluxum patientibus evenire, sive iis, quarum sanguis à luna facile & multum commovetur, quod quoties obtinet, licet à spermatis spiritu immutetur, vix tamen adeo à priori indole recedit, quin facile ad genium redeat, vasa distendat, urgeat, exitum per ipsa quærat, eumque inveniens foetum tenellulum simul foras protrudat, fit hoc eo facilius quo tenerior est foetus, cum enim paululum adoleverit non adeo promptè ejicitur ab eadem causa cum spiritus feminis virilis successivè valentius sanguinem mutet, hinc est quod plures primis quadraginta diebus, quam aliis omnibus abortiones fiant *Hipp. de part. octim.*

Redundat aliquando culpa in seminis virilis inefficaciam, in sanguinem mulierem subinde, nonnunquam in utrumque, unde videas, hanc cum hoc viro crebros pati abortus, cum alio nullos. Huc facit observatio à Dn. Præside mihi communicata, de Viro optimi habitus cujus uxor crebros passa abortus cum moreretur, & ille ad secunda transfret vota, virginem nactus est, cui menstrua tardius solito ab omni tempore eruperant, ita ut ad summum bimestribus spatiis purgaretur, quæ à nuptiis statim ferè singulis tribus hebdomadibus constanter hucusque purgatur & in sterili cum eò vivit conjugio. Quantum mutata ab illo? Extra dubium est eandem singulis mensibus redire causam, quæ sanguinis excretionem urgeat, cui quamdiu id, quod imprægnationem causatur, resistit, nihil excernitur, quo devicto, turget denuo sanguis, fluunt catamenia cum præsentaneo abortus periculo: *Si enim pregnantis purgationes menstrua currant, impossibile est ut bene valeat foetus Hippocr. aphor. Sect. 5. aph. 60.* Redit verò tributi lunaris causa statis temporibus, quoad igitur in conjugibus non variant circumstantiæ invariatus erit effectus & statim tempore fœmina abortiet.

XI.

Nec fœtus insons est, variis ille succumbit ægritudinibus dum dolet vel cæteroquin languet & lenta morte confectus moritur. Cum doloribus discruciatum irrequietè jactatur, uterum ferit & tantum non excoriat, donec is convulsus injuriam injuriâ compenset & tumultuantem hospitem exterminet. Cum morbis succumbit & moritur pondere suo uterum gravat, putrefactus tetrus odoribus & putri-

trilagine inficit donec ab eo ejiciatur. Enecetur
 fœtus ab animi commotionibus matris, medicamen-
 tis catharticis fortioribus, tetrīs odoribus, inundet à
 lapsu vel ictu profluus per vasa uteri faucia sanguis
 lares fœtus, vel ipse lædatur, sive sanguine obrutus,
 sive præfocatus, viribus orbis concidet, uterum mo-
 lesto attritu laceffet, tandemq; cadaver exturbabitur.

*Si quid enim puero præter consuetudinem contingat, idq; si par-
 vulus adhuc fuerit moritur. Plerumqve enim cum admodum sunt
 exigui, invalidi existunt. Quin & grandiusculi fœtus etiam
 corrumpuntur, ut proinde mulieres mirari non debeant, si nolentes
 fœtum corrumpant. Summa enim cura & providentia opus
 est ut in uteris fœtum perferant & enutriant, eog; in partu li-
 berentur. de Morbis Mulierum lib. 1. Hippocrates scribit. In
 anni constitutionem causam rejicit Hippocrates de aere, locis
 & aquis cum ait: Si hyems quidem austrina pluviosa & pla-
 cida fuit, Ver verò aqvilonium, siccum & tempestuosum, primum
 quidem mulieres, quæ pregnantēs extiterint, & quibus partus
 in ver imminet, abortionem facturās est verisimile, quæ verò et-
 iam pepererint, adeo imbecilles ac morbosos fœtus parituras, ut
 aut statim pereant, aut tenues, debiles & valetudinarii vivant.*

Cum tamen Hippocrates ultra verisimilitudinem
 hanc observationem non extendat, & in Græcia,
 in quâ Hippocrates vixit, alterius naturæ clima sit,
 hic loci applicari non poterit; nec hætenus me legis-
 se memini apud nostrates tale quid observatum,
 quanquam omni non destituatur fundamento, cum
 nonnunquam certa anni tempora gravidis plurimis
 fatalia esse observemus.

XII.

Signa in iis quæ ex improvise abortiunt plerumq;
 incerta sunt, potissima tamen sunt sequentia. 1. Cum
 gravida intermedio gestationis tempore lac in mam-
 mis

mis colligit, quod alioqvi non nisi ultimis pene diebus ex naturæ decreto fieri consuevit: indicat enim vel fœtum ægrotare & morbo confici, vel planè mortuum esse, ita ut tantum nutrimenti, quo pridem in uterum deposito, alebatur, amplius haud consumat, & hoc Hippocratici observati fundamentum est, quando *aphor. 25. sect. 5.* scribit: *Mulieri in utero gerenti si multum lactis ex mammis fluxerit, infirmum fœtum significat; Si verò firma solidæq; mamma fuerint, valentiozem conceptum indicat.* Sed hic notandum de iis intelligi hoc fœminis quibus lac in mammis habere in consuetum, illæ enim, quæ infantes suos sæpius lactarunt & tubulos mammarum sibi eo ipso fecere admodum patulos, sæpe sæpius à primis imprægnationis mensibus sat multum lactis in iis habent.

2. *Quæ fœtum sunt perditura, iis mamma extenuantur Hippocr. sect. 5. §. 53.* Quamdiu fœmina uterum gerit turgidulæ sunt ac tument mammæ, quæ sive sensim sive derepente si extenuentur id fœtui debet esse fatale, indicium quippe est à causa extenuante alimoniam subduci fœtui, à lactis enim defectu illæ gracilesunt, quod si subito fiat, repentinæ hujus extenuationis maximam arguit causam, adeoque majus portendit periculum quam si successivè illud fiat, præprimis ultimis mensibus, cum fœtus grandior & qui multo eget alimēto id consumere possit.

3. Si mensis tempore graviditatis in non asuetis fluant, si enim prægnanti menstruus fluxus consuetus fuerit, fit illud citra abortus periculum, exempla annotarunt Bartholinus, Hildanus, Pechlinus, Reusnerus, Solenander, aliiqve. Si verò non fuerit consuetus perpendendum num ille fluxus sit copiosus, num frequens

quens quo graviditatis tempore contingat. Si enim singulis mensibus copiosus redeat valet Hippocratis aphorism. 60. sect. 5. *Si pregnantibus purgationes menstrua currant, impossibile est, ut bene valeat foetus.* Non enim modo subducitur foetui alimentum, sed etiam aliena qualitate inficitur; licet enim determinare hic nolumus sanguis ne menstruus sit venenatus an non, à fermento tamen lunari nimium quantum immutatur, ut intro sumptus horrenda quandoque post se trahat symptomata, menses etiam pellat potentissime. vide *Stalpart van der Wiel observ. rarior. cent. post. part. pr. obs. 19.* Quidni igitur ab eo sepositum nutrimentum, ve ejus aura embryoni nocebit? cum enim id à matre accipiat, id non potest non esse summe alteratum. 9. Quando venter superior incipit coarctari, latera constringi, tumorque cum gravitate versus pudenda exporrigitur, hoc enim solet esse infallibile foetus modo intereuntis, vel jam defuncti argumentum; foetui enim hic idem contingit quod aliis, vel mortuis, vel lethaliter decumbentibus, qui notabiliter solent esse ponderosiores. 7. Cum lumbi cum gravitate dolent; dolor enim ille vel partium uterinarum tensioni debetur, quia ob pondus foetus deorsum tractus uterus suis ligamentis vim infert, vel indicat spasmos hic loci incipere qui foetum brevi sint perdituri. 8. Cum rigor aut horror per vices recurrunt, appetentia dejicitur, caput dolet; insignis enim illa sit oportet alteratio cum vivus matri arctissime connexus foetus in vivam moritur & illa vivum sepulchrum mortuum circumfert. 9. Quando aqua erumpit saniosa & carniū loturæ analoga; illa enim secundinarum ab utero avulsarum

D

aut

aut laceratarum signum est manifestum. Atq; hæc sunt signa ex quibus imminere abortum colligimus; obtinent tamen nequaquam in omnibus sed tantum in plurimis: Sunt enim quæ abortiunt citra manifestam ullam causam, imo inter deambulandum absq; ullis ferme doloribus. In quibusdam etiam, licet aliqua horum signorum adsint, abortus non subsequitur, extat in hanc rem notabilis observatio apud *Th. Bartholinum histor. anat. rariorum Cent. 4. histor. 57.* quæ constat, à ponderis gravioris elevatione abortum, ruptis membranis exitum embryone moliente, ferè rejectum, manus dexteritate repositum, licet ad tertium usque diem lochia fluxerint, retentum & justo tempore exclusum fuisse.

XIII.

Quantum ad prognosin, abortus in aliis periculo vacat, si enim absque gravibus symptomatibus contingat adeò periculosus non est, sed si insignes hemorrhagiæ, syncope, delirium, convulsiones sequantur lethalis esse solet: si uteri subsequatur inflammatio quam consequantur febris, cordis palpitationes, cardialgiæ tum anguis latet in herba. Solent ut plurimum mulieres ex abortu magis periclitari, quàm ex verò partu, cum hic tempore alieno & violenter fiat. Nec vegeta nonnullarum constitutio præ tenerioribus semper prærogativam habet, sæpius enim illæ his periculosius decumbunt, maxima namque causa fuisse oportet quæ in illis abortum concitavit, cum in his à facili & levi id fiat. Quo denique fœtus grandior est, & ad verum partus tempus proximius accedit, periculosior est.

XIV. Pro-

XIV.

Prophylaxis pro causarum diversitate variat, non tamen operoso apparatu institui debet, sed quo simplicior eo melior est, ubi tamen, id, quod sub initium monui, probe notandum, curam nempe prophylacticam nunquam instituendam esse, nisi constiterit, gravidam iterato abortum fuisse expertam; gravidas enim pharmacis obruere non æque tutum, exponuntur sæpè abortus periculo si promiscuè & minus circumspectè illa adhibeantur. Inter prophylactica remedia famosa est venæsectio, de qua dici potest, quod laudetur ab his, culpetur ab illis, videturque Hippocrates pro negativa stare quando sect. 5. aph. 31. inquit: *Mulier uterum ferens abortit sectâ venâ, eoq; magis si fœtus sit grandior.* Cum tamen frequentissimè impunè sanguis fuerit missus, imo ad animi usque deliquium *Forest. lib. 29. de arthrid. obs. 24.* quædam etiam omisâ venæsectione abortierint, crebris his experienciis fulti ab Hippocrate recesserunt, & nonnulli, quasi catholicum esset remedium, promiscuè gravidis non præcavendi saltem scopo, sed ut facilem experiantur Lucinam in ipso etiam partu, vel ut proles sit pulchra, venam secarunt. Temerario certe consilio, nisi enim adfuerit plethora, aliiqve morbi qui venæsectionem expostulant, vel nihil ab ea redundat in matrem fœtumq; utilitatis, vel nocet. Plethora si adfuerit, ut nimia sanguinis copia abortus causa sit, illa planè necessaria est. Memorabile exemplum habet *C. Stalpart van der Wiel obs. rar. Cent. 1. obs. 65.* ubi mulieri uno eodemqve fœtu gravidæ quadragies ac novies vena scissa est. Sin morbus sanguinis missionem efflagitaverit, nec ali-

ud quid obstiterit, intrepide id fiat: Idem *Stalpart van der Wiel* gravidæ ac partui propinqvæ mulieri primum octiduo ante partum octo vel novem uncias sanguinis, deinde octo post diebus cum pleuritide, à qua prima vice intra quatrimum convalescerat, denuo afficeretur, denuo venam secari præcepit non sine levamine, cum eodem die sanum & robustum foetum ediderit. *obs. rarior. Cent. 1. obs. 33.* Nec omit- tenda Venæsectio si à fermento lunari sanguis tur- geat, nisi enim illum temporius imminueris, abortiet foemina. Huc pertinet quod *F. de le Boe Sylvius* ali- quoties in praxi sua observasse scribit, ut foeminæ nona decimave post cessantem menstruorum eru- ptionem hebdomade, fluxum passæ fuerit magnum, & unâ cum ipso aliquid excreverint coagulati car- neive, quod propter foetus absentiam pro placenta non soleat haberi: quæ nihilominus postea, educto circa hebdomadem post cessantia menstrua octavam ex brachio sanguine, nil simile in se animadvert- runt, verum gravidæ sunt deprehensæ atqve circa nonum mensem foetum pepererunt vivum vitalem- ve. *Prax. med. lib. 3. cap. 6. §. 56.* Si tamen contingat & subsequenti aliquo vel pluribus mensium imminen- tis menstruationis symptomata redire, re recte deli- berata reiterari debet: huc facit maximè notabilis observatio quæ legitur apud *L. Riverium* in Matrona Monspeliensi, quæ cum tres consequenter abortus variis esset passa gestationis temporibus & jam denuo à duobus mensibus gravis dolores circa umbilicum, abortum minantes, pateretur, venâ sectâ intra pau- cas horas à doloribus & metus abortus omninò libe- rata est. Symptomata verò illa accesserant eo pror-
sus

fus tempore, quo menstruas purgationes pati con-
 fveverat extra graviditatem, tertio deinde mense ea-
 dem symptomata redierunt, & venæsectione statim
 liberata est, quarto itidem, quinto, sexto, septimo &
 octavo iisdem symptomatibus periodicè recurrenti-
 bus, à quibus venæsectionibus statim liberata fuit.
 Ultima venæsectio celebrata fuit octo diebus ante
 principium noni mensis cum eodem fructu & in fine
 noni mensis peperit filium benè habitum. *Prax. med.*
lib. 15. cap. 16. In iis quibus ob plethoram secatur, nisi
 aliud quid obstiterit, primis quam postremis mensibus
 venam aperire præstat, & si plenitudo tanta sit ut lar-
 giorè detractiōem desideret id fiat partitis vicibus:
 fecit id *O. Grembs arb. integra & ruinosa hominis lib. 2.*
cap. 1. §. 12. Sed saluberrimum hic est monitum *L. Ri-*
verii, his exemplis persuasum juniorem medicum
 postremis gestationis mensibus in sanguine mitten-
 do fieri non debere audacem, sed morborum & mu-
 lierum habitus oportere diligenter circumspicere,
 & hoc perpetuo in memoriam revocare, peccata om-
 missionis leviora esse peccatis commissionis, & sati-
 us esse in re dubia infra subsistere, quam ultra debi-
 tos limites progredi. XV.

Quæ abortum metuit fœmina omnem abortus
 causam sollicitè cavere debet, cum enim jam eo ven-
 tum est ut ipsa abortio ingruat medicus fere id age-
 re debet ut citius & mitius eveniat. Audax enim
 & vix imitandum exemplum est quod *Th. Bartholinus*
histor. anat. rarior. cent. 4. obs. 57. recenset de muliere, cui,
 propter ponderis gravioris elevationem cum abor-
 tum ferè rejecisset & ruptis membranis exitum em-
 bryo moliretur, obstetrix manu fœtum reposuit, quæ

retentus & iusto tempore postea exclusus fuit: Mille quippe periculis mater & foetus exponerentur. Studiose vitet omnes toto ingravidationis tempore animi graviores commotiones mentemque suam ita componat, ut semper meminerit, quod si iis sese tradiderit, suam pariter atque foetus sanitatem & vitam periclitari. Vitae suae commoditati prospiciat, a nimio motu, saltu, ponderum graviorum sublacione similibusve caveat. Vestes sint largae & molles, nec nimium constringantur, providè incedat gressusque figat stabiles ne cadat, vitet omnem occasionem qua laedi, vel vulnerari possit. Caveat ab enormibus sanguinis evacuationibus, purgantibus potentioribus, & emmenagoga procul esse jubeat. Si torminibus ventris, doloribus calculi, alvi fluxui, dysenteriae, haemorrhagiis, vigiliis nimis vel aliis th. 8 recensitis morbis succumbat, illis temporius prospiciat & caute medicinam faciat. Si foetus etiam aegrotare deprehendatur quovis possibili modo illi succurrendum.

XVI.

His omnibus non obstantibus si contingat ut in discrimen abortus veniat foemina, statim in initio, cum uterinorum spasmorum metus instat, vel illi jam incipiunt, diaphoretica tum terrea, tum spirituosa simulque oleosa cum blandis adstringentibus praecæteris locum habeant. Ex terreorum catalogo se commendant antimonium diaphoreticum simplex & martiale utrumque recens, C. C. ustum, C. C. philosophicè præparatum, rasura eboris, os sapiæ, ossa dactylorum, margaritæ præparatæ, corallia eorumque magisteria, dens hyppopotami, castoris,
pulvis

pulvis cancrorum fluviatiliū in furno ficcatorum, spodium ex ebore, santalum rubrum. E spirituosīs & aromaticis huc faciunt aqua cinnamomi simplex, cum vino, item diacydoniata, diaborraginata, epileptica Langii, aqua vitæ mulierum, flor. lilior. convallium, cerasorum nigrorum, oleacinnamomi, zedoariæ, rorismarini, succini, angelicæ &c. Inter adstringentia numerantur bistorta, tormentilla, nux moschata, muscus quercinus, terra Japonica, bursa pastoris, pimpinella vulgaris, millefolium, plantaginis succus, sanguis draconis, semen plantaginis. Pro re natâ ex his fiunt composita, nempe species diamargariti frigidi, de hyacintho incompletæ, specif. cephalicum Mich. trochisci de carabe, de spodio, pulvis Marchionis, contra abortum Aug. vide plura apud *P. Gruling Med. Pract. lib 4 part. 4. cap. 3.* aliosve. Sequentem aquam magni nominis Practicum in frequenti usu habuisse novi. Rec. Aq. Ceras. nigr. unc. iij. Cort. citr. unc. i. f. embryon. unc. ij. cinnam. drach. ij. margar. orient. præpar. C.C. philosoph. præpar. ana scrup. j. Sacch. perlati, Brod. Cydon. condit. Nucis in India conditæ, Syr. cort. aurant. ãã. dr. iij. M. Ex his similibusve passim apud Practicos variæ prostant formulæ, sed quos quilibet proprio Marte facile adornaverit, & iis pro re nata opiata junxerit, semper ad originem mali respiciendo, ne rotunda quadratis & noxia utilibus misceat. Inter specifica admodum grana chermes laudari solent, propinant illa vel sola vel cum pari thuris pondere, sed non putem de annosis dici hoc posse, verum de pulvere rubicundo qui ab iis cribri ope seperatur, quiqve aceto acerrimo irrorat-

irroratus est ne in vermem abeat, hic enim vim habet adstringentem, non verò grana pulvere omni exhausta, quæ subamaricant nec adstringunt. Pro euporisto habent chalazas ovorum gallinaceorum recentium tres numero cum uno auri foliolo in aliquot cochlearibus juris carni-um solutos & per dies duodecim sumptos; sed vix crediderim auri foliolo & chalazis tantum inesse virtutis, nocebunt potius, quia, quoad his utuntur, alia negliguntur quæ abortum præcavere poterant. Hæc omnia cum selectu adhibebit Medicus, non enim quævis in quovis conveniunt abortu, qui namque à nimiâ imminet hæmorrhagia, si illi spirituosis & aromaticis obviam iremus, peccaremus; respiciat igitur ad causam abortus & facile videbit quid profuturum & quæ nocitura sint.

XVII.

Dum internis spasmodicis uteri convulsionibus mederi studemus externa non negligenda erunt, sint illâ penetrantiâ, ne vim suam in abdominis musculis perdant, Crusta panis aqua vitæ mulierum, vel alia spirituosa, thesi præcedenti recensita, irrorata, panis piperato Norimbergensium iis humectatus & caryophyllorum pulvere conspersus, oleum nucistæ destillatum, oleum mastichinum cum oleo macis destillato, balsamus Peruvianus, oleum nucistæ expressum, dest. menthæ, styrax liquida huic intentioni satisficient. Emplastris & Unguentis adstringentibus parum fidei haberem, eo ipso enim, quia adstringentia sunt, poros cutis carniūque subjectarum constringunt & sibi ipsis viam intercludunt, admista præterea habent terrea, ceram aliave, quæ omni studio

studio addita videntur ne penetrare possint, sed ut iis irretita hæreant: iis tamen si quis uti voluerit per me licet, si non proderunt, non nocebunt: omnia illa emplastra superabit si thus cum albuminibus ovorum super prunas agitatum & stupis exceptum, calidissime abdomini applicatur.

XVIII.

Inter amuleta quæ abortum præcavere dicuntur celebris est aëtites, quem parturientibus peculiariter dicatum Plinius & Galenus testantur, quod forsitan ideò creditum est, quia fama fert aquilam ad exclusionis promotionem lapidem aëtitem in nido deponere: Illæ, quæ ad abortum sunt proclives, ut fœtum retineant, sinistro brachio illum alligare jubentur. Quod si verò tempore partus sinistro femori alligetur, dolores minuere & partum accelerare creditur. Utque figmento nihil deesset, Valeriola se observasse scribit, illum tam vehementer trahere ut uterus unâ excidat, ni maturè removeatur, addito exemplo, quod Valentiaë accidisse refert. De magnetis simile quid fabulantur, vultque *J. B. van Helmont de magnet. vuln. curat.* quod si magnetis vis trahendi ferrum mumiaë muliebri maritata fuerit, tunc dorsum magnetis, in femore, & ejus venter in lumbis emplastrata abortum jam minitanti tuto præcavere. Aliæ illum in manu gestant & umbilico apponunt: vel etiam lapidem qui in utero cervæ fuerit repertus; Alii jaspidem, lazuli & samium lapides gestatos vel collo appensos idem efficere docent. Non prolixè & alia recensibus amuleta, quæ sunt lignum mespili, malva, parietaria, tormentilla cum radicibus appensa, vel cingulum ex corio equi ma-

E

rini

26 DISSERTATIO INAUGURALIS DE ABORTU.
rini gestatum, omnia enim parem merentur fidem,
cum experientia toto die contrarium testetur. Hy-
perbolicas Lucinarum nostrarum persuasiones id vo-
cat *Ludovicus in pharm. mod. sec. accom. p. 634.* & si quid-
piam hæc & similia conferre visa fuerint, id forsan
inter circumstantiarum ignorantiam per vulgatis-
simum in Medicinâ, (non causæ ut causæ) elenchum
aut violentas matricis præcipitationes factum & ad-
minimum incertæ esse fiduciæ.

XIX.

Ad leges accuratæ diætæ gravida abortui alias
obnoxia vitam suam componat, illa vitando quæ in
præcedentibus abortui ansam dare dicta sunt: tem-
peret sibi nimirum à nimis motibus corporisque
exercitiis, saltu, citatori cursu &c. nimium ne in-
dulgeat animi passionibus, vitam agat quietam &
tranquillam; Versetur in aëre purò, vescatur cibis
eupeptis, abstineat ab amaris, falsis, piperatis. Eo
hæc omnia fiunt scopo ne in discrimen abortus ve-
niat, quod cum adest, quiescat, in lecto se contineat
& supra laudatis utatur remediis, & si his non
proficientibus abortiat, perinde atq; puer-
peræ tractentur.

F I N I S.



ULB Halle
002 725 991


3




TA → OL

VJ 17







B.I.G.

Farbkarte #13



M. A. 1697, 1a 1

FIGURALIS MEDICA,
E

R T U,

am
ult. Medic. Indultu
Viadrina,

SIDE
RDO ALBINO,
ENISSIMI ac POTENTISSI-
NDENBURGICI CONSI-
, MEDICINÆ PROFESS.
, & h. t. DECANO,
PROMOTORE STUDIORUM
EM COLENDO,
CENTIA
onores & Privilegia Docto-
tinendi,
i An. MDC XCVII.
i examini submittet
pomeridianis
GE à BERGEN,
Peitz.

ad VIADRUM,
IORI ZEITLERI.